



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita P. Ignatii Loiolae, Qui religionem Clericorum Societatis Iesv instituit

**Ribadeneyra, Pedro de
Coloniæ Agrippinæ, 1602**

S[t]udiorum illius labor & fructus. I.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45323

ita pedibus iter illud confecit, vt mense Februario ineunte, anni millesimi quingentesimi vigesimi octavi, Lutetiam Parisiorum sanus incolumisque peruenerit.

VITÆ IGNA-
TII LOIOLAE,
LIBER SECVNDVS.

STVDIORVM ILLIVS
labor & fructus.

CAPVT PRIMVM.



NGRESSVS Lutetiam Ignatius, cogitationes suas eò potissimum contulit, vt rationē aliquā inueniret, quò eorū, quæ ad vitā necessaria sunt, cura liberatus, in studijs ingenuarum artium sedulò versaretur. Quæ res secus longè accidit: magnam enim in illa studiorum tractatione molestiam & difficultatem sustinuit. Principio, quandam pecuniæ summam dono sibi ex Hispania missam, accepit
cam

eamque contubernali cuidam suo seruandam tradidit: in usus ille suos commodumque conuertit: soluendo postea non fuit; itaque Ignatio perijt, qui in eas angustias adductus est, ut in hospitalē diui Iacobi domū diuertere, & ostiatim quæritare victum quotidie cogeretur. Quod tamen vsitatum ipsi erat, & per se iucundum: multum tamen impedimenti studiorum progressibus adferebat. Iam illud permolestum, quod à gymnasio, ubi discibat, tam procul aberat. Nam cum explanationes à præceptoribus, hyeme ante lucem haberentur, in nocte producerentur vespertine, ipse cum sole domo exire (ut xenodochij leges seruaret) cum sole redire cogebatur. Cum igitur inchoata studia minimè sibi ex sententia procederent, magnoque labore exiguum fructum caperet, eam tandem rationem excogitauit, ut herum sibi aliquem quæreret, eruditum in primis virum, cui ipse deferuieret, ut quod à domesticis ministris daretur temporis, id totum in litterarum meditatione consumeret. Quem si inuenisset, statuerat illum Christi loco habere, in condiscipulis verò Apostolos ipsos cernere, & Christum ipsum sibi, sanctissimumque discipulorum illius cœtum, pia cogitatione representare.

Quæ eius cælestis veluti pictura quædã
 & conformatio in cõmuni vitæ cõsue-
 tudine, & religiosa fratrum inter se cõ-
 municatione, magnopere à patre no-
 stro cõmendabatur, vtpotè quæ ad re-
 tinendam in superiores obseruantiam,
 fraternam erga pares charitatem, va-
 leret plurimum. Herũ, magna diligen-
 tia multorum conquistum, inuenire
 non potuit. Quare vbi hæc non succes-
 sit, aliam viam commodiorẽ iniuit. Re-
 Domino in oratione diligenter com-
 mendata, cõsiliũ religiosi cuiusdam
 viri sequutus, in Belgas annis singulis
 ire constituit, vt ab Hispanis mercato-
 ribus, hominibus copiosis, qui in illa
 prouincia negociabãtur, aliquid pecu-
 niæ in sumptus corrogaret, & paucor-
 um dierum iactura, studiorum omni-
 um perturbationẽ redimeret. Hac via,
 tantum quotannis mercatorum libe-
 ralitate pecuniæ referebat, quãtum ad
 vitam sufficeret frugaliter sustentan-
 dam. Primò & altero anno in Belgi-
 cam Galliam profectus est, tertio et-
 iam in Angliam excurrit. Post trien-
 nium verò, eundi ac redeundi cura li-
 beratus est. Nam mercatores ipsi sua-
 pte sponte, pecuniam mittebant Ignat-
 iũ in annos singulos, quæ ad eam ad-
 dita,

ditā, quæ ex Hispania subministraba-
tur, neq; tenuis omninò erat, neq; vs-
que adeò angusta, vt ad illū parcè mo-
diciq; viuentem, atq; ad alterum etiā
socium alendū non sufficeret. Atque
hunc in modum Ignatius vitam tole-
rabat. Sed non inopiæ solum incom-
modis illius affecta studia sunt, alia et-
iam extiterūt impedimenta. Nam dia-
bolus, qui sibi ab Ignatio timebat ve-
hementer, incitatum illius in litta-
rarū studia cursum auertere molieba-
tur. Quamobrē Philosophiæ curricu-
lum ingredienti, eadem illi impedi-
menta ex cogitationum spiritualium
importuna copia intulit, quæ Barcino-
ne obiecerat in rudimentis Gramma-
tices versanti. Sed fallaces illas imagi-
nes facillè depulit, & callidi hostis im-
petū, eadem ratione qua superiorem
illum, refutauit ac fregit. Morbis etiam
sub studiorū finem, grauissimè est con-
suetus. Nam etsi initio aliquāto me-
lius illi à stomacho fuit; postea tamen
voluntaria corporis vexatio, & pœnæ
(quas aliqua ex parte vel remissas au-
xit, vel interdum etiā intermissas Lu-
terix reuocauit) studiorū labor, animi
grauis ac perpetua contentio, cælum
ipsum Parisiense ipsi insalubre & ad-

uerfum, ita Ignatium afflixerunt, ut
quò perditæ valetudini parceret, stu-
diorum cursum interrompere cogere-
tur. Atq; his tamen tot incōmodis op-
pressus, tantum in litteris profecit, ut
fructus minimè pœnitēdus videretur.
In Hispania, quorundam consilio in-
ductus, & animas citius iuuandi des-
derio quodam incitatus, minùs expli-
citas studiorum suorum rationes ha-
buit. Nā & Logicę, Philosophiæ, Theo-
logiæq; studia vno tempore comple-
xus est: quæ præpropera festinatio
magnam illi moram intulit. Quapro-
pter ut tarditate cursum corrigeret,
Lutetiæ primùm in mōtis Acuti gym-
nasio, se bonis Latinitatis præceptor-
ibus reformandum tradidit, in eoque
studio biennium ferè cōsumpsit: dein-
de satis iam Latina lingua promptus
Philosophiæ cursum, anno 1529. est in-
gressus; quem feliciter sanè confecit.
Quare lauream magistralem est ade-
ptus, cum seuerè de eius scientia peri-
culum esset factum, lapideo (ut vulgo
vocant) examinae, quod omnium in
la academia solet esse grauissimum. Id
magistro suo auctore, non ad futilem
ostentationem Ignatius, sed ad erudi-
tionis testimonium fieri permisit.

cum

cū animo versaret multa ob inopiā doctrinæ Compluti & Salmaticæ ad proximorum salutē sibi obiecta fuisse impedimenta, Spacio Philosophiæ emēso, reliquum tempus, ad annum trigesimum quintum excūtem, sacrae Theologiae tribuit, parq; suscepto labori fructus, Dei benignitate, respondit. Illud sanē quoniam res admonet, silentio non præteribo. Ex his tot tantisque difficultatibus, quibus Ignatij studia implicata fuere, eam curam natam esse, quam de nobis prouidus pater suscipiebat. Pressus est magna ipse inopia: at verò cupiebat, diligenterq; curabat, vt dum in studijs literarū versaretur, ita nostris ad vsus vitæ necessarios esset prouisum, vt absque vlla victus quærendi sollicitudine viuerent. Aiebat enim, in summa mendicitate, sapientiæ studium haud facile posse consistere, atque animi cultum anxia illa cura alendi corporis impediri. Ex quo his nostram Societatem institutis temperauit, vt Collegijs nostris cōmuniter habere ea bona liceret, quæ paupertati nullo detrimento, scientiæ cōparandæ magno essent adiumento. Vexatus est ille cœlestium rerum haud opportunis imaginibus. Ne verò isti-

usmodi rebus ab exercitijs auocaren-
 tur litterarijs, voluit studiorū tēporē,
 & meditationes, & ipsas proximū in-
 uādi occupationes nostris esse mode-
 ratas. Debilitarūt eū morbi, & idcirco
 filiorū suorū valetudini diligētissimē,
 dum vixit, per se consuluit, & vt idem
 semper fieret, essentq; scholasticorum
 nostrorū conatus ex intermissione di-
 uturni, in constitutionibus prouidit.
 Perturbatē initio disciplinas multo s-
 uo tēporē cōplex⁹ est. Quod ne nobis
 eueniret, sapienter cauit, vt nostro-
 rum studia nihil haberent aut prepo-
 sterū, aut mutilum & cōcisum: sed re-
 ctē omnia, atque ordine fierent: in eo
 enim, in quo passus est ipse & tētatus,
 didicit eis, qui tentantur, auxiliari. Ita-
 que hac ipsa de re loquens Ignatius,
 percipere se dicebat aliquē ex studio-
 forū numero nancisci, qui tot tantisq;
 difficultatib⁹, incōmodisq; constrict⁹,
 atq; ipse, fuisset, tāta contentione, pa-
 rem annorum numerū in studijs litte-
 rarū posuisset. Et meritō quidem id di-
 cebat, ipse enim studuit magna in pri-
 mis paupertate pressus, eaque volun-
 taria, atq; spontanea omnino, & nullo
 modo ab obedientia profecta, tum
 multis morbis diuturnisq; confectus:
 deinde neque honores neq; dignitates

ſpectans, neq; vllum omninò præmi-
um humanū, quod attrahere homines
ſolet, atque ad labores perferendos a-
nimare. Nulla prætereà voluptatis, quæ
ex ſtudijs caperet, inuitatus illecebra,
quæ magnum inuitamentum morta-
libus eſt laborum. Imò verò & ſuapte
natura, & propter ætatem iam matu-
ram, & ad diſciplinas addiſcendas mi-
nus idoneam, & propter deguſtatam
ſpiritus ſuauiſſimam, à ſtudijs litterarū
abhorrebat. Habuit denique toto ſtu-
diorum tempore occupationes mul-
tas, perſecutiones permoleſtas, ma-
gnas atque innumerabiles curas, quæ
ſtudiorū illius curſum vel impedirent,
vel retardarent. Et tamen tot rebus ad-
uerſis, tantis implicatus moleſtijs, duo-
decim annos litteris nauauit operam,
aſſiduè atq; ſtrenuè, ſeipſum frangens,
diuinæ volūtatī per omnia obſequēs,
ſuamque ſubiiciens. Atque vt id face-
ret contentius, omnia que impedimē-
to ipſi eſſe poterant, ſtudioſè ſummo-
uebat. Quocirca Lutetiæ inter Ignati-
um Philoſophiæ curſum ingreſſum,
Fabrumque conuenerat, vt ipſo ſtudē-
di tempore de rebus ſpiritualibus ne
loquerentur, proptereà quod in cuius-
modi rerum colloquiū ſi fortè incidif-
ſent,

ſent,

sent, ita Ignati⁹ diuini amoris quasi e-
 flu quodam atque impetu abripie-
 batur, vt cætera oblitus, lōgius sermo-
 cinando prouheretur, tempusque cō-
 sumeret, atque id totum de studendi
 ratione atque vtilitate detraheretur.
 Eadem de causa, ab exercitationibus
 spiritualibus tradendis alijsque pijs oc-
 cupationibus; hoc ipso Philosophici
 studij tēpore abstinuit, ne alienis dis-
 tractus negotijs, remissior instudendi
 proposito, atque segnior esset. Quo tē-
 pore cū magna trāquillitate vteretur,
 nemine ipsum tunc persequente, qui-
 dam ipsius familiaris ad Ignatiū: non-
 ne (inquit) vides, quanta rerum vicissi-
 tudo, quanta voluntatum commuta-
 tio facta sit? qui te paulò antea depri-
 mebant, extinctumque cupiebant, nū-
 nunc extollunt, & laudibus in cælum
 ferunt: quid hoc rei est? Ad quem Igna-
 tius. Ex istis (ait) vinculis sine me ex-
 pediam, expecta dum cursum Philoso-
 phiæ conficiam, & tunc causam huius
 tranquillitatis intelliges. Me enim ta-
 cente, tacente; quiescente, quiescunt: v-
 bi me commoueo, inuidia continuo
 tempestas exoritur, eiusque quasi flu-
 ctibus exagitor. Euenit quod euētū
 prædixit, & decurso Philosophiæ spa-

cio, vbi sese ad homines iuūādos trā-
tulit, & contentius agere coepit, odij
& inuidiæ aculei qui excussi videban-
tur, denuò in ipsū emissi sūt, sicut pau-
lò post explicabo. Quæ dicta sint, vt
robur Ignatij, & animi in studijs con-
tentio magis eluceat.

EX CHARITATIS OFFICI-

in inuidiam vocatur.

CAPVT II.

Studiorum tempore, non studijs
solum dabat operam, sed etiam
commouēdis vitæ exemplo scho-
lasticorum animis, & consilio moni-
tisque ad Christum adducendis. Nam
& antequā ad Philosophiæ studiū ag-
grederetur, nonnullos honestos iuue-
nes, ingenio & doctrina præstantes, i-
ta inflammavit, vt continuo rebus o-
mnibus se abdicarent. In ipso autem
Philosophiæ cursu, ab hac (vt diximus)
iuuandi alios occupatione, quasi mi-
nus propria & studijs apta ferè abstine-
bat. Cursu verò peracto, optimos
quosque, & ad cultum cælestis doctri-
næ appositissimos adolescentes, ita ad
hanc perfectionis disciplinam incita-
uit, vt in eius ex Lutetia discessu, pluri-

mi